



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomæ**

**Suárez, Francisco**

**Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621**

Cap. XIII. An attributa includant se inuicem essentialiter.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

vero est talis, vt concipiatur sapientia determinata ad Diuinam, in quo necessario includitur, vt sit in se, licet expresse non consideretur. Adde, quod licet expresse consideretur sapientia illa: vt increata, adhuc concipitur, vt speciale attributum, & tunc negari non potest: quin in suo conceptu essentiam includat.

8. Alterius opinionis ratio soluitur.

Ad argumenta ergo alterius sententiae respondentur. Ad primum, licet essentia, & iustitia v.g. cogitentur, vt diuersa ratione, non tamen posse vere cogitari vnam, non inclusam in alia etiam vt sic cogitatum. Quia haec duo diuersa sunt, & vnum non sequitur ex alio, & dum additur illa negatio, fit abstractio aliqua negatiua, in qua est falsitas in praesenti materia, quia est contra naturam, & perfectionem talium rerum sic conceptarum. Ad secundum falsa est illa propositio assumpta, quod expresse non est in nostra cogitatione, non includitur in re cogitata, vt obiecta tali cognitioni. Alias (vt supra argumentabar) nec ens includeretur in conceptu accidentis, vel substantiae, nec inferiora in superioribus, quod est contra communem concipiendi modum. Et ratio est, quia quando ego cogito v.g. de albedine, vt immutat visum, illa formam habeo meae cognitioni obiectam, & ideo essentialiter includit, quod inhaereat, licet ego de hoc non cogitem. Tamen si supra rem, de qua cogitabam, in quantum tantum considerabam, reflexionem faciam, inueniam in illa inclusa essentialiter alia predicata, quae non cogitabam. Ita ergo in praesenti dicendum est. Reliqua argumenta in duobus capitibus sequentibus dissoluentur.

CAPVT XIII.

Virum attributa inuicem se includant salua distinctione rationis eorum, tam inter se, quam ab essentia.

1. Torres. August. Anselm. Bernard.

EX dictis euidenter concluditur, quodlibet attributum essentialiter includi in quodlibet, quod etiam docuit Torres, supra, & sequuntur moderni Thomistae, & mihi esse videtur aperta sententia Augustini. Et consecutio est necessaria. Nam Sapientia v.g. essentiam Diuinam essentialiter includit, & Diuina essentia includit essentialiter iustitiam, ergo etiam sapientiam essentialiter includere iustitiam necesse est, & sic de reliquis attributis. Praeterea hoc postulat infinitas, & simplicitas attributorum Dei, nam vnumquodque attributum est infinitum, non tantum in tali, vel tali genere, sed simpliciter in genere entis. Respondent hoc ita esse de attributis in re: nihilominus tamen singula concepta sub particulari ratione alicuius attributi, vt sapientiae, iustitiae, non esse infinita simpliciter, sed tantum in tali ratione. Sed contra hoc inquitur ex dictis, quia si vnumquodque attributum in re est infinitum simpliciter, totam illam infinitatem essentialiter includit, quia de ratione entis infiniti simpliciter est, vt totam illam perfectionem optimo modo includat, ac proinde essentialiter, ergo quantumcunque praescindatur in conceptu illam includit, licet mens nostra non expresse, neque formaliter de illa cogitet. Et ratio a priori est, quia vnumquodque attributum includit essentialiter ipsum esse per essentiam, in quo est omnis perfectio vnitissime, & simplicissime. Vnde recte dixit Dionysius. capite 13. de Diuin. nom. Vnde Deus est, quia omnia vnicite est, secundum vnitatem eminenti in vnitatis.

Dionys.

2.

Iam vero explicandum nobis superest, quomodo cum hac tanta vnitatem, & inclusione essentiali attributorum inter se, & in essentia, & essentiae in attributis stet distinctio rationis inter illa, & quomodo haec intelligenda sit. Quod fiet conuenienter proponendo argumenta, quae vel pro opinione Scoti capit. 10. tractata sunt, vel contra ea, quae in explicanda communi sententia diximus, fieri solent. Prius tamen aduerto, Nominales interdum concedere, vel significare, attributa diuina, nec inter se, neque ab essentia distingui, etiam ratione, nam dicunt non plus distingui essentiam a sapientia,

quam essentiam ab essentia, vel sapientiam a sapientia. Ita Gabriel sequens Ocham 1. dist. 2. qu. 1. articulo. Gabriel secundo, Gregor. in prima distinctione octaua quaest. Gregor. secunda, Maior quaest. prima. Vereor tamen illos vti Maior, nominibus aequiuoce, & magis differre a communi sententia in modo loquendi, nam in re fatentur, haec omnia ita distingui, vt de eis possint contradictoria predicari, imo, & Gregorius ait, vnum posse negari de alio in abstracto, de quo capite sequenti videbimus. Videntur ergo solum intendere negare omnem veram distinctionem inter attributa, nam distinctio, quae dicitur esse per conceptus nostros, non est vera distinctio, quia quod est in se indiuisum, non potest per extrinsecos actus mentis distingui. Hoc enim est argumentum, quo maxime vtuntur, & probat quidem, distinctionem rationis non esse veram, & intrinsecam rebus, non tamen probat, non esse aliqualem distinctionem nostro modo concipiendi, & quali per extrinsecam denominationem, seu esse distinctionem non rerum secundum se, sed prout menti nostrae obiciuntur. Sic ergo supponimus cum communi sententia, haec attributa saltem ratione distingui, quae distinctio autem est per intellectum nostrum, fundamentum autem eius est aliquo modo in re, vt docet D. Thom. D. Thom. supra, & bene exponit Caiet. & Torres quaestione 28. Caiet. 1. p. articulo 2. Capreol. 1. d. 3. Durand. d. 2. quaestione 3. & alij communiter, patebitque ex dicendis. Torres. Capreol. Durand.

Primo ergo obicit Scotus hanc distinctionem debere esse veram, & in re ipsa, & non tantum per denominationem a nostris conceptibus, quia iustitia, & misericordia secundum se sumptae in omni abstractione dicuntur rationes formales distinctas, quae per definitiones distinctas declarantur, ergo vbiunque formaliter inueniuntur, retinent eandem distinctionem, sed in Deo formaliter inueniuntur, ergo. Primum antecedens, vt notum supponit Scotus, quia illa duo ex se habent distinctas definitiones, definitio autem explicat rei naturam. Prima vero consequentia probatur, quia vbiunque sunt, retinent easdem definitiones. Item quia impossibile est, aliqua esse sine conditione per se, & intrinsece ad illas consequente: sed ex illa duplici definitione, seu ratione formali sequitur vera distinctio inter illa duo vel potius in illis includitur tanquam negatio resultans ex positivo, ergo. Confirmatur haec ratio, quia illa duo ita sunt in Deo, vt de illis contradictoria dicantur, & verificentur, ergo oportet, illa duo esse vere distincta in se. Antecedens patet, quia iustitia Dei non remittit, sed punit, misericordia vero est conuerso, vel quod certius est, per intellectum generat Pater, & non per voluntatem. Consequentia vero probatur, quia non ideo est falsa vna ex his propositionibus contradictoriis, & alia vera, quia nos ita concipimus, sed quia in re ita est, ergo fundatur hoc in distinctione, quae fit in re. Vnde etiam Deus ipse cognoscit, se generare per intellectum, & non per voluntatem, ergo videt, suum intellectum esse aliquo modo distinctum a voluntate, ergo ita est in re, quia Pater aeternus videt suum intellectum, & voluntatem, prout in re sunt, & non fingit distinctionem.

Secundo principaliter obicitur alij, est, non admittatur tanta distinctio, saltem necessarium esse admittere distinctionem praecisionis vnus ab alio in rationibus formalibus, ita vt vnum non includatur in conceptu essentiali alterius. Primo, quia saltem hoc conuincunt argumenta Scoti. Secundo, quia non potest concipi, quo modo distinguantur ratione, si vnum includit, quidquid includit aliud, Quia vt aliqua duo concipiuntur aliquo modo distincta, oportet, vt aliquo modo vnum non sit aliud, ergo vt vnum non includatur essentialiter in alio. Quomodo enim distinguantur sub eadem ratione sub qua sese includunt mutuo. Ergo oportet, vt sic saltem quatenus obiecta nostris conceptibus nou

4. Aliquorum obiectio.

has non se includant, vt possint ratione distingui. Tertio, quia alias hæc omnia nomina, quibus attributa significantur, essent synonyma, quod non admittit Diuus Thomas quæst. 13. artic. 4. nec Theologi communiter. Sequela patet, quia significantur omnino idem, & secundum idem, quia quidquid concipitur ex vi vnius vocis, concipitur ex vi alterius, & è conuerso. Quarto, quia sequitur has propositiones formales, & in abstracto *sapientia est iustitia, intellectus Dei est voluntas Dei*, esse veras: quia idem omnino significatur per vtrumque extremum, quod satis est ad veritatem verbi, est: Consequens videtur absurdum, alias quidquid de vno vere predicatur, de alio predicaretur, iuxta syllogisticam formam, quod tamen esse falsum constat ex arg. Scoti.

Ad Scotum respondemus, ad omnia, quæ de Deo concipimus, & verè affirmamus, vel negamus, non esse necessariam distinctionem veram, & actiualem, quæ in Deo præcedat, sed sufficere fundamentalem, seu virtuales cum imperfecto modo loquendi nostro. Vnde primum argumentum Scoti solum probat distinctionem virtuales in re ipsa. Respondendum autem in forma est, Misericordiam, & Iustitiam abstractissime conceptas, vt abstrahunt à creatis, & increatis, non inueniri in rerum natura, sed in nostris mentibus obiectiuis, & ita etiam definiri, non prout in re sunt in aliquo, sed prout eisdem conceptibus obijciuntur. Ex quo solum inferitur, definitionem vnius non esse definitionem alterius, nec vnum etiam illorum conceptuum includi in alio. Non vero recte inde inferitur, vel definitiones illas in re ipsa semper in omnibus rebus esse cum actuali distinctione talium perfectionum, nec etiam necessario postulare, vt vna ex illis perfectionibus non includatur in alia in re ipsa. Aliud enim est, hoc non postulare inclusionem illius, quod ex vi illarum definitionum ad summum sequitur: aliud est, vnum postulare exclusionem alterius, quod ex vi illarum definitionum necessarium non est. Sicut ergo illi duo conceptus abstrahunt à creatis, & increatis iustitia, & misericordia, ita abstrahunt à distinctione vera, & actuali earum inter se, quæ in re ipsa fit, sed dicunt solum obiectiuam distinctionem in formali ratione, seu distinctione, quæ potest esse cum distinctione in re in rebus finitis vel cum identitate in infinita.

Ad aliam vero Scoti rationem respondetur, ad veritatem illarum enuntiationum, etiam cum aliqua contradictione, sufficere distinctionem rationis cum fundamento in re, quia nos sicut concipimus, ita loquimur, vt latius dicemus infra libro 4. de Trinitate agentes de identitate essentiali, & relationis, in qua videri potest argumentum illud habere maiorem aliquam vim. Insinuat vero in illo argumento quæstio, an hæc attributa habeant distinctionem rationis etiam in mente Dei, aut personæ clare videntis ipsum. De qua re videri potest Capreol. 1. distinctione 8. quæstion. 4. artic. 3. in fine. Caietan. 1. part. qu. 39. artic. 1. & Torres 1. part. quæst. 28. disputation. 2. dub. 3. vbi aliqui moderni, Sed sufficere censeo, quæ de hac re dixi disput. 7. Metaphysic. sect. 1. & disputatione 7. 4. sect. 2. vbi dixi, Deum non fingere entia rationis, & consequenter nec distinctionem rationis, nam eadem est ratio. Nimirum, quod Deus cognoscit se, sicut est, & ideo sicut in se non habet distinctionem, ita neque fingit illam, neque illa censetur resultare ex cognitione Dei, quatenus se ipsum cognoscit.

Nihilominus tamen negari non potest, quin Deus cognoscat entia rationis, & distinctionem rationis, quatenus hæc ab homine fingi, vel excogitari possunt sicut cognoscit chimeram, & omnia quæ sub imaginationem cadere possunt, non quia ipse fingat illa, neque quia aliter cognoscat, quam sint, sed quia vnum quodque cognoscit, quatenus esse habet, vel verum, vel fictum. Aliud enim est fingere, aliud videre illud

Suarez: de Deo trinuno.

ab alio fictum, vel effingibile, vt sic dicam. Sicut aliud est discurre, aliud intueri discursum alterius, quod facit Deus, licet non discurrat, & tunc habet discursum obiectiue in mente, licet non habeat formaliter. Sic ergo habet in mente sua obiectiue conceptus nostros formales attributorum Dei: per quos videt ratione distingui attributa, & ita videt illa, vt ratione distincta ab homine. Homo enim potest, non solum directe cognoscere attributa per conceptus formales eorum, sed etiam reflexè illa comparare, vt distincta sub eatione & relationem rationis ibi excogitare, sicut etiam potest concipere relationem generis, & specierum. Hæc ergo omnia Deus intuetur, qualia sunt, scilicet, formales conceptus, vt reales, obiectiuos vero, quales fuerint, interdum reales, interdum tantum rationis, in quo nihil fingit Deus, sed vnum quodque videt, sicut est. Nec video, quid dubitationis, vel contentions, in hoc esse possit.

Ad alia argumenta respondeo, oprime saluari distinctionem rationis inter attributa, & omnes enuntiationes, quæ de illis sunt, non obstante mutua inclusionem, quam explicuimus. Quod satis mihi declarat exemplum de Deo, & Deitate, nam hæc duo ratione distinguuntur, & non sunt voces synonyma, imo de vno potest affirmari aliquid, quod negetur de alio, nihilominus nihil in re includit vnum, etiam vt obiectum menti, quod non includat aliud. Idem censeo de Paternitate, & Patre, vt infra ostendam libro 4. & 7. de Trin. Dico ergo, ad distinctionem rationis satis esse diuersum modum concipiendi nostrum etiam si in re concepta nihil diuersum includatur. Ille autem modus concipiendi esse potest, vel concretus, & abstractus, vt in exemplis positus, vel explicatior & distinctior conceptus secundum vnam rationem, quam secundum aliam. Sic distinguuntur iustitia, & misericordia, nam licet res omnino eadem sit, quæ vtroque conceptu concipitur: tamen per vnum concipitur sub speciali habitudine ad talem effectum, & de illo respectu est expressa cogitatio, & non de alijs, licet non excludantur, sed potius confuse includantur.

Hic autem modus distinctionis etiam in re creata inueniri potest, sicut enim, vt opinor, ratione, distinguuntur intellectus, & memoria, & non maiori distinctione: & in re vno modo concepta existimo includi, quidquid includitur in eadem alio modo concepta quia vis intelligendi est ex intrinseca sua natura retentiuæ specierum, inde memoria nominatur, & è conuerso vis immaterialis retentione specierum (de hac enim memoria sermo est) intus est virtus intelligendi, idem est de voluntate vt natura, seu vt voluntas est, vel vt liberum arbitrium. Idemque esset de visu vt visio albedinis, & nigredinis, si sub his præcisus rationibus conciperetur, & nominaretur. Et multa similia facile excogitari possunt. Et ratio est, quia vt nos aliqua distinguamus ratione, duo sufficiunt, iuxta doctrinam Diui Thomæ q. 7. de Potentia, art. 6. & in d. 2. qu. 1. artic. 2. & 3. Vnum est, quod non concipiamus rem prout est in se, aliud est, quod concipiamus illam per habitudinem, vel comparisonem ad res alias distinctas. Hæc autem duo possunt concurrere in diuerso modo concipiendi eandem rem, etiam si in re concepta vtroque modo totum includatur, vt ex dictis satis patet, hoc ergo non obstat distinctioni rationis.

Ex his ergo satis responsum est ad duo prima argumenta secundo loco obiecta. Argumenta enim Scoti, sicut non probant distinctionem, ita neque contra hanc partem quidquam probant. De distinctione autem rationis iam explicatum est, quomodo possit consistere cum inclusionem essentiali: nam licet non sit necessarium omnia, quæ distinguuntur ratione, ita sese includere, vt de genere, & differentia constat, & de Relatione, & Diuinitate infra suo loco dicemus, tamen non propterea repugnat illa inclusio cum di-

5. Scit obiectio diluitur.

6. Illa Scoti ratio ad distinctionem.

7. Distinguitur non ad attributionem rationis in mente Dei.

8. Aliorum aliorum obiectio refellitur.

9.

10. Ex dictis factum est duobus argumētis seu modo loco obiectis.

Handwritten notes in red ink on the right margin, including the words "D.V." and other illegible characters.

unctione rationis ex modo imperfecto concipiendi vt explicatum est, maximeq; est necessarium in re, & essentia simplicissima, ac perfectissima quoad ea omnia, quæ adæquatè cum illa identificantur. Ad Tertium vero responderetur, vt hæc nomina non sint synonyma factis esse, quod eandem rem diuersis modis conceptâ repræsentent. Dicunt vero aliqui illas voces, licet nõ sint synonymæ in ordine ad nos, esse synonymas in ordine ad Beatos, vt beati sunt, quia vident idem significari in re ipsa per omnes illas. Sed hoc non recte dicitur, quia etiam nos idem significari scimus in re ipsa per omnes illas, quod vero à nobis non videatur res illa, & videatur à Beatis, impertinens est ad vocû significationem, vel vt sint synonymæ, quia illæ semper subordinantur diuersis conceptibus, & quantum est ex ipsis, semper faciunt concipere rem diuerso modo. Vnde licet Beati conciperent sapientiam Dei, ex vi auditionis, & significationis vocis, *sapientia*, non concipient illam adæquatè, & prout in se est. Quod vero alia via perfectius concipiant, accidentariū est. Simpliciter ergo, & respectu cuiuscunq; intellectus voces illæ synonymæ non sunt. De quarto arg. dicemus c. seq.

CAPVT XIV.

Quomodo possint diuina attributa vere de Deo enuntiarî, & Deus de illis.

1. **Q**uoniam hæc attributa possunt, & in concreto, & in abstracto concipi, & ita possunt varie inter se comparari, sc. concreta ad subiecta, ad concreta prædicata, vel abstracta ad abstracta, vel abstracta ad concreta, vel è conuerso, vel etiam comparando abstractum, & concretum ad aliquid aliud, quod de illis dici possit, aut non possit, vel è conuerso, ideo breuiter de his omnibus dicendum est, quia ad complementum huius materiæ est necessarium.

2. **P**rimo igitur manifestum est, in concreto fieri propriam affirmationem attributorum de Deo, & inter se, vt *Deus est sapiens, iustus, sapiens est Bonus*. Hoc per se clarum est. Imo tanta est identitas inter illa extrema, vt potius dubitari possit, an illa sint proprie propositiones, vel potius identice. Quod videtur voluisse insinuare Diuus Thomas 1. part. qu. 13. cum interrogat. in art. 12. an possint de Deo formari affirmatiuæ propositiones. Et respondet, posse, quia non sunt omnino identice, eo quod termini positi in subiecto, & prædicato non sunt synonymi, vt articulo quarto dixerat, & ostensum est iam. Nec vero compositio conceptuum, vel verborum, quam nos facimus, cum enuntiamus hæc, obstat simplicitati Dei, quia non attribuius Deo modum cognitionis, vel locutionis nostræ, sed rem, & veritatem cognitam, vt in solutionibus argumentorum eiusdem articuli D. Thomæ latius declarat.

3. **S**ecundo dicendum est, etiam propositiones illas, in quibus attributa absoluta, & positiua de Deo in abstracto prædicantur, esse veras in rigore sermonis. Loquor de absolutis, quia de relationibus consideratione ad tractatum de Trinitate pertinet. Loquor item de positiuis, quia negationes, vt immortalitas, infinitas, non proprie dicuntur de Deo, nisi sumantur loco positiuorum. Est ergo sermo de his, *Deus est sapiens, & similibus*. Et sic assertio mihi videtur certa. Primo quia scriptura passim videtur hoc modo loquendi, vt *Deus est sapiens, iustus, &c.* In 1. Corint. 1. Prouerb. 8. Secundo, quia sancti non solum eisdem locutionibus vtuntur, sed etiam eas præferunt prædicationibus concretorum, ita vt melius dicatur *Deus vita*, quam viuens sapientia, quam sapiens. Ita docet Dionysius de Diuin. nom. capite quarto, & quinto, & sequentibus, vbi ait Deum non tam esse bonum & pulchrum, sapientem, & cætera. quam Bonitatem, pulchritudi-

nem, sapientiam: idem sentit Damascenus libro primo, capite quinto. Vnde Leo Papa Epistol. 91. alias 93. capite quinto. *Nemo hominum veritas* (ait) *nemo sapientia, nemo iustitia est, sed multi participes sunt veritatis sapientia & iustitia. solus autem Deus nullius participationis indigens est. de quo quidquid digne sentitur, non qualitas est sed essentia.*

Vbi duas rationes indicat harum locutionum in sensu verissimo, vna est, quia per illas significatur, Deum non esse talem per participationem sed per se primo, & cum summa perfectione, quod per sola concreta non significatur, & hoc significare voluit Bern. lib. 5. de Conf. c. 7. cum dixit. *Non est formatus Deus, sed formatus non est affectus Deus, affectio est.* Qui propterea ferm. 80. in Cant. refert. damnatam esse illam interpretationem Gilberti, *Deus est veritas, id est, verus. Meum* (inquit Bern.) *exponeret, Deus est verus, id est, veritas.* Aliave ratio Leonis est, quia, *Deus est hæc omnia per essentiam suam, quam rationem statim amplius vergebimus.* Augustin. etiam 5. de Trinitate capite 2. & 10. & libro 6. capite 1. & in sequentibus, & in l. 7. sæpe ita loquitur.

Tertio eadem est ratio de hac propositione *Deus est Deitas*, quæ de his *Deus est sapientia, iustitia, &c.* Sed illa propositio *Deus est Deitas*, est ita vera, vt dixerit Concil. Rhemensis in nullo sensu catholico negari posse, vt infra l. 4. de Trin. c. 2. & 11. Videbimus, ergo. Maior late ostenditur à Bernard. supra, & ex August. clare colligitur. Et probatur à paritate rationis, quia tam simplex & subsistens est sapientia, sicut Deitas. Quarto est ratio à priori: quia nihil includitur in illo subiecto, quod non contineatur in prædicato, & solus significandi modus non sufficit, vt propositio illa falsa sit, quia ille significandi modus non tribuitur Deo ipsi, id est, non tribuitur illi compositio, nec separatio formæ à subiecto, sed solum res significata.

Tertio ergo dicendum est, etiam Deum & attributa eius in concreto sumpta recte prædicari de abstractis, seruando in reliquis proportionem, seu debitam identitatem, vt dicendo *Deitas est sapiens, immortalis, &c.* Est assertio a que certa, ac præcedens quia sequitur per simplicem conuersionem. Nam si *Deus est Deitas*, etiam *Deitas est Deus*, & *Deitas est sapiens*, & sic de alijs. Est autem in præfenti hæc conuersionis bona, & formalis, quia licet respectu nominum personalium, vel notionalium Deus non sit medium sufficiens ad similes illationes faciendas propter communicabilitatem suam, & identitatem ad res oppositas, vt in tractatu de Trinit. videbimus. Nihilominus inter absoluta est medium sufficiens, quia habet cum illis adæquatam identitatem, nam omnia absoluta sunt æque singularia, & cum eadem communicabilitate reali. Præterea, hæc locutiones sunt verissimæ: *sapientia est Deus*, & similes, vt supr. est ostensum, ergo quod prædicatur essentialiter de Deo prædicabitur etiam de sapientia, sed Deus essentialiter est sapiens, iustus, &c. ergo hæc omnia vere, & essentialiter dicuntur de sapientia. Idemq; est de omnibus similibus. Neq; contra hæc inuenio argumenta alicuius momenti præter ea, quæ ex seq. assertione insurgere possunt.

Dico ergo quarto. *Attributa hæc essentialia, & positiua recte possunt de se inuicem affirmari*, vt cum dicitur, *sapientia est iustitia, intellectus est voluntas, &c.* In præfenti de hac assertione non facile conueniunt Theologi. Nam contrariam sententiam tenere videtur Capr. 1. d. 8. firmari quoque 4. ar. 3. ad 11. Aureoli contra primam conclusionem. Et q. mirabile est, idem sentit ibi Greg. q. 1. cum alias teneat, hæc attributa nec ratione distingui. Tamen assertio sumitur ex D. Thoma 1. part. quæst. 39. articulo 5. in solutionibus argumentorum, & ar. 6. & locis citatis præced. cap. est que communis Thomistarum, Præsertim Torres quæst. 28. 1. part. artic. 2. disp. 2. vbi etiam alij. Et sine dubio est sententia Augustini, Anselmi,

Attributorum multiplex fieri potest comparatio.

In concretis propria attributorum affirmatio de Deo & inter se potest esse. D. Thom.

Quanto attributa absoluta, & positiua de Deo in abstracto prædicantur, vera est propositio.

Ioann. 14. 1. Corinth. 1. Prou. 8.

6. Assertio 3.

7. Assertio 4.